Quod Deus Ter Opt. Max. bene vertat:

DE MATERIA ΑΝΤΙΧΡΗΣΕΩΣ NOBILISSIMA,

DUODECIM QUAESTIONIBUS COMPREHENSA IN ILLUSTRI ET CELEBERRIMA ACADEMIA GIESSENA,

PRÆSIDE

Amplißimo & Consultißimo Viro,

DN. HELFRICO-ULRICO HUNNIO, J. U. DOCTORE, PANDECTARUM PROFESSORE PUBLICO Ordinario, & Illustrissimi, Celsissimiq; Principis ac Dn. Dn. LUDOVICI, Hassiæ Landgravii, &c. Consiliario.

Publici Exercitii gratia in auditorio ICtorum ad diem 10. Iulii, horis antemeridianis

RESPONDEBIT

HENRICUS JUSTUS PFEIL, Mindensis.

GIESSÆ HESSORUM,
Typis Nicolai Hampelii, Academ. Typogr.

M DC XIX.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

21

280

A TRES-ILLUSTRE ET TRES-PUISSANT PRINCE MONSEIGNEUR, MONSEIGNEUR FRIDERIC ULRIC, *Duc de Brunsvvic & Luneburg, &c.*

MONSEIGNEUR, tous mes plus humbles ſervices appartienent à VOSTRE ALTESSE, la quelle ne s' eſmerveillera point ſi je m' addreſſe à elle. Trois choſes en ſont cauſe. La premieré eſt, que Voſtre Alteſſe aime ſingulierement les vertus d' Apollon & de Mars tout enſemble: La ſeconde eſt que le ſubject ne peut aſſez honorer ſon Seigneur & Prince. La troiſieſme, ſont les biens & faveurs qu' il à pleu à Voſtre Alteſſe eſlargir & diſtribuer à mon Pere, George Pfeil demeurant à Stoltznow. Ces trois cōſiderations ſont cauſe, que je n' ay peu faire autrement que je ne dediaſſe à Voſtre Alteſſe, ceſte mienne preſente Diſpute, eſperant qu' elle ne vous deſplaira point. La bontè, clemence & faveur du Prince font fleurir les arts & ſciences entre ſes bons & fideles ſubjects. Ce n' eſt

point ſans raiſon que je vous offre & preſente ceſt eſchantillon de mes eſtudes. Tout ce qui eſt en moy, doibt eſtre apres Dieu, principalement dedié au ſervice de V. A. Prenez donc en bonne part, MONSEIGNEUR, ceſte mienne petite Diſpute & me favoriſez s'il vous plais de voſtre grace, bontè clemẽce, & faveur. Je prieray perpetuellement la Divine & Celeſte Majeſte pour l'accroiſſement & felicité de voſtre Grandeur & Alteſſe, à ce qu'elle vous face, MONSEIGNEUR, proſperer longuemẽt, & vous donne ce qui eſt pour voſtre particulier contentemẽt & le commun bien de vos ſubjects. eſcrit à Gieſſen le 2. Jour de Juillet, l'an 1619.

De Voſtre ALTESSE

treshumble ſubject

Henry Juſte Pfeil.

QUA-

QUÆSTIO I.

Quid sit Antichresis?

ANTICHRESIS *definitio non una ab Interpretibus Juris traditur. Etenim Iacobus Cujacius* libr.3 obs.35 *eumq; secutus Ioh Berch.* in tract. de usur.c.6.n.2. *Alciat.* lib.2 disp.3. *Rauchbarus* part.1. quæst, jur. Civil. & Saxon. q.20. *definiunt Antichresin, quod sit* pignus ita datum, ut, donec pecunia solvatur, pignore creditor utatur fruatur invicem usurarum. *Quod enim Antichresis sit pignus, disertè confirmat Marcianus* in l.33. ff.de pignor.act. Si pecuniam, *inquiens*, debitor solverit, potest pignoraticia actione uti ad recipiendam Antichresin: Nam cum pignus sit, hoc verbo poterit uti.

Et sanè pignoraticia actio non datur, nisi de pignore, l.1.& tot. tit.ff.de pignoratit.act *Pignoraticiam autem actionem de Antichresi dari textus est in* d.l.33. *Igitur Antichresis erit pignus.*

Et quod Antichresis sit pignus statuit etiam Donellus ad l.17. n.fin.C.de usur.

Veruntamen vitiosum hanc definitionem esse non immeritò quis dixerit: Vix enim quicquam absurdius, aut à veritate alienius dici, ac statui posset, quam quod Antichresis sit pignus, aut pignoris species: Quandoquidem multis modis à pignore differt. I. Siquidem pignus & Antichresis differunt causa efficiente: Pignus enim constituitur per contractum, & quidem contractum realem, § fin. Inst quib.mod. re contrahit. obligat. *Antichresis autem constituitur non per contractum realem, sed per pactum, & quidem pactum nudum, ut infra dicetur ex* l.1 §3. ff.de pignor. *II. Differunt pignus, & Antichresis, ut Subjectum & Adjunctum: Anti-*

chresis siquidem est qualitas, & Adjunctum pignoris; Quoniam dicitur mutuus pignoris usus in d.l.1.§ 3.de pign.l.17.C.de usur. *III. Differunt fine: Adhoc quippe potissimum ac principaliter constitui pignus solet, ut creditor de suo credito recipiendo eò sit securior,* § fin.Inst.quib.mod.re contrah. oblig. *Antichresis verò hunc in finem constitui non solet, ut per eam creditori sit cautum, sed potius ut cedat creditori in vicem & recompensationem usurarum,* d.l.17.C.de usur.l. 8.ff.in quib. caus.pign.vel hypoth. *IV. Deniq; differunt Antichresis & pignus ferè ut contraria: Nam pignori plane contrarium est, ut creditor utatur re pignerata,* l.1.C. de pignorat.act. *adeò ut creditor, re pignerata utens, furtum committat,* § 6.Inst.de obligat quæ ex delict.nasc. *Antichresis autem est nihil aliud, quàm jus re pignerata utendi in vicem usurarum,* l.11.§ 1.ff.de pignorib.l.17.C.de usur.

Franciscus Hotomannus in Epitom.Jur.Civil. *definit Antichresin, quod sit* pactum in pignore expressum, ut creditor tamdiu fructus rei traditæ percipiat, dum ei sors oblata, solutavé fuerit.

Verùm & hæc definitio vix sustineri potest, quia Antichresis genus non est pactio cum per pactionem, sive conventionem Antichresis constituatur, l.1,§ 3. ff.de pignorib.

Rectius proinde Antichresis definitur jus re pignerata utendi-fruendi in vicem usurarum, l.11.§ 1.ff. de pignorib.l.17. C.de usur.l.8.ff.in quib.caus.pign.vel hypoth.solvit.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Antichresis?

Dividitur Antichresis dupliciter, 1. In Expressam & Tacitam: Iacob. Cujacius libr. 8.observat.17. *Borcholt.*d. tract.de usur.c.6.n.3. *Anton.Faber* Decad.9.Error.pragmat.5. *Iohan. Robert.*Recept.Lect.lib.1.c.4. *Andr.Rauchbarus* lib.1. quæst. Jur.Civil.& Saxonic.part.1.q 20 n.39. *Gabriel Mudæus* in tr. de pign. rubric, de pact. pign, nu.61. *atq; hæc divisio communi Dd.*

Dd. Jcalculis recepta eſt, ſuumq́; fundamentum habet in l. cum debitor. 8. ff. in quibus cauſ. pign. vel hypoth. tacit. *quo in loco ICtus Paulus hoc modo ſcribit:* Cum debitor gratuita pecunia utatur poteſt, creditor de fructibus rei ſibi pigneratæ ad modum legitimum uſurarum retinere. *Ecce hic ICtus Paulus propterea creditori jus pignore utendi tribuit, quia debitor gratuita pecunia utatur: Expreſſa proinde conventio ad Antichreſin conſtituendam neceſſaria non eſt, ſed ſufficit quod gratuita pecunia utatur debitor.*

Eandem Franciſc. Hotom. in Epit. jur. tit. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. tacit. & in l. 1. C. de pignor. act. & 1. obſ. 4. *eumq́; ſecutus Iohan. Robert. Aurelian.* lib. 1. recept. lect. c. 14. *textum hunc emendant, & particulam* non *negativam expungunt, pro hiſce verbis;* cùm debitor gratuita pecunia non utatur, *legẽtes;* cùm debitor gratuita pecunia utatur, *ita, ut legis ſenſus ſit;* cum debitor pecuniam ſub fœnore mutuam acceperit, nihil vetare, quominus creditor, cui fortaſſe de ſorte ſatisfactum eſt, poſſit de fructibus rei ſibi pignoratæ uſuras, hoc eſt, tantum fructuum, retinere, quanta ſumma eſt uſurarum ſibi debitarum, dum tamen intra modum legitimum uſurarum eos retineat.

Hujus verò emendationis fundamentum in eo conſtituunt, quod ſi gratuita pecunia eſt, uſuræ nullæ debeantur, nec proinde fructus ulli, aut percipi, aut retineri poſſint, in vicem uſurarum, & conſequenter percepti in ſortem imputandi videantur, ut illam extenuent. Veruntamen emendatio hæc non modo violenta eſt, ſed etiam recepta & conſtanti exemplarium omnium, tam impreſſorum, quam MSCtorum repugnat. Et rationi adductæ ſatisfacit poſt Cujacium d. cap. 17. *Antonius Faber* d. error. 5. *gratuitam dicens non ſolum eam eſſe pecuniam, de qua cõvenit, ut gratuita eſſet, ſed illam etiam de qua non convenit, ut eſſet ſub uſuris, licet debitor ad Antidora obligatus pignus tradendo tacitè conſentiat, ut in vi-*

cem

cem usurarum creditor fructus percipiat. Clarus ni fallimur hoc modo ad istam rationem responderi videtur; gratuitam dici pecuniam in d. l. 8. *non absolutè, nec simpliciter, sed respectivè duntaxat, contemplatione videlicet usurarum, quas sibi creditor stipulatus, vel pactus non est: Alioquin respectu fructuum, quos vi tacita pactionis percipit creditor, pecuniam gratuitam dici non posse ipsimet sponte ac liberaliter concedimus. Quocirca tacitam Antichresin disertè probat* d. l. 8 ff. in quib. causs. pign. *Et quod Antichresis non modò expressè, sed tacitè etiam conurahatur, evincit,* l. ex prædiis, 11. C. de usur. *ubi creditor, post oblatam pecuniam fructus percipiens, debitum exonerare creditur: Ex quo per argumentum à contrario sensu deductum benè concluditur, fructus ante oblationem à creditore perceptos debitum exonerare, nec in sortem imputari, sed lucro creditoris cedere.*

Nec hic audiendus est Hotomanus textum hunc generaliter & indistinctè loquentem, ad eum casum restringens, quo nominatim convenit, ut creditor fructus usurarum loco perciperet.

Deniq; tacitam induci hypothecam gratuita pecunia mutatione æquitas summa suadere videtur: Cùm enim mutuum gratuitum est, seu, ut ICtus in d. l. 8. *loquitur, debitori gratuita pecunia credita est, æquum est, ut quemadmodum debitor fructus pecuniæ suos facit, ita vicissim creditor rei oppigneratæ fructus lucretur suosq; faciat, ne deterioris conditionis sit creditor, quam debitor, nevé creditori officium humanitatis, quod mutuando pecuniam præstitit debitori, damnosum existat.*

Et quanquam Hotomani sententia, tacitam Antichresin negantis, rationibus admodum speciosis destitui non videatur, eò quod 1. Imperator in l. 17. C de usur. *ita demum pignoris usum creditori concedit, si fundus ea lege pignori datus fuerit, ut creditor eo in vicem usurarum uteretur frueretur. 2. Quod deinceps absurdum videatur creditori, qui pecuniam gratuitam debitori credidit, in usurarum vicem fructus pignoris deberi, cum illud gratuitum sit, pro*

nihil

nihil vicissim præstatur, aut debetur, arg. l. 1. §. ult. ff. mandat. l. 17. de præscript. verb. *Et secundum Tryphonium illud demum gratuitum appelletur, propter quod nullum lucri, aut emolumenti genus speratur*, l. qui sine, 38. ff. de Negot. gest. 3. *Quod in* l. 1. C. de distract. pignor. l. 1. l. 2. l. ult. C. de pign. act. *fructus rei oppigneratæ ad creditorem spectare negantur, sed aut debitori restituendi, aut in sortem imputandi dicuntur ita, ut debitum minuant, extenuent, exonerent.* 4. *Quod denique in* l. 3. l. 4. l. 22. C. de usur. l. 5. §. eidem autem, ff. de solut. *afferitur, usuras, sive fructus rei pigneratæ nõ posse retineri, nisi de illis retinendis cõvenerit. Concludit proinde ex hisce Juris fundamentis Hotomanus, quod ad Antichresin constituendam semper expressa desideretur conventio, nec aliter in vicem usurarum fructus ex re pignerata creditor lucretur, quam si de hoc inter debitorem & creditorem expressè convenerit. Veruntamen utrum hæc fundamenta ejus sint roboris, ut istam Hotomani sententiam planè singularem sustinere valeant, periculum faciemus.*

QUÆSTIO III.

An rectè Antichresis dividatur in perpetuam, & temporalem?

Carolus Molineus JCtus celeberrimus in tract. quem de commerciis, & usuris scripsit q. 35. nu. 159. *duplicem facit Antichresin: Unam Temporalem, alteram verò perpetuam:* Temporalem *appellitat eam, quæ ad certum tempus limitata est, vel etiam ad tempus incertum & ex justa causa, ut si fidejussores daturus debitor interim, donec idoneos fidejussores inveniat, pignore creditori suo caveat, eidemq; fructus pignoris in vicem usurarum percipere concedat, usq; dum fidejussor idoneus fuerit inventus.* Perpetuam *verò Antichresin eam dicit, quæ ita in pignore constituitur, ut fundus cum fructibus tamdiu sit apud creditorem, donec à creditore redimatur. Atq; hanc Antichresin perpetuam dicit veram & propriam esse Antichresin: Temporalem verò impropriam: illam illicitam, & usurariam; hanc verò licitam statuit. Nos divisionem hanc ad-*

 mit-

mittimus? [illegible]
& turbat magis [illegible]

QUÆSTIO V.

Utrum Antichresis in pignore dumtaxat vero, an etiam in hypotheca constituatur?

Franciscus Hotomanus in Epitom. jur. tit. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contrah. n. 8. & Donel. ad l. 17. n. 4. C. de usur. *statuunt, Antichresin in pignore dumtaxat vero, quo res pignorata creditori traditur, non etiam in hypotheca locum habere: Atq; hujus opinionis fundamentum constituunt in* l. si is qui. 11. § 1. ff. de pignor. *quo in loco Marcianus ita scribit:* Si Antichresis, *id est,* mutuus pignoris usus, pro credito facta sit, & in fundum aut aedes aliquis inducatur, eousq; retinet possessionem pignoris loco, donec illi pecunia solvatur, cum in usuras fructus percipiat aut locando, aut ipse percipiendo habitandoque, &c. *Hic videtur ICtus Marcianus ad Antichresin constituendam requirere, ut creditor sit in fundum aut aedes oppigneratas, in quibus Antichresis ipsi constituta est, inductus.* 2. *Et traditionem ad antichresin constituendam necessariam esse, vel hinc colligi videtur, quod* [illegible] *consistat in eo, ut fructuum beneficio ejus creditor percipiat* l. 8. ff. in quib. caus. pign. tacit. l. 17. C. de usur. *at fructus rei oppigneratae non traditae, qua ratione colligere & percipere possit creditor?* 3. *Faciat huic opinionem & ista ratio, quod Antichresis pignus dicitur in* l. 33. ff. de pign. act. *At pignus non nisi re tradita contrahitur,* § fin. Inst. quib. mod. re cont. oblig. 4. *Denique confirmat non parum hanc sententiam, quod de Antichresi* [illegible] *de pigneratitia actio dari dicitur, in d. l. 33. Pigneratitia* [illegible] *non de hypotheca, sed de pignore* [illegible] *cujus possessio ad creditorem translata est,* [illegible] de pign. act. [illegible] *Antonius Faber* in Error. Pragmatic. decad. [illegible] err. 8. *concedit quidem antichresin expressam non minus in hypotheca,*

quam

quam in pignore constitui posse: Tacitam verò in hypotheca nullum sibi locum vindicare asserit; Fundamentum hujus istud adducit, quod cum creditor pigneratitius non tantum pignoris jus & vinculum habeat in re ipsa, sed etiam rei possessionem, traditam sibi a debitore, videatur habere jus quoque percipiendorum fructuum pignoris ex ipsius debitoris voluntate, ideoq; nec mirum sit si, quasi tacita Antichresi contracta, possit ille ex fructibus sibi retinere ad legitimum usq; modum usurarum. Intercedens quippe factum debitoris in pignore tradendo conjecturam præbet voluntatis, quod sicuti creditor mutuam & gratuitam pecuniam dando, nullas à debitore ob usum ejus pecuniæ usuras exposcit, ita vicissim debitor pignus tradens creditori, nec de fructibus quicquam paciscens consentire videatur, ut liber sit creditori & impunitus usus pignoris: jus siquidem percipiendorum fructuum sequi solet jus translatæ possessionis, & quisquis possessionem rei suæ tradit, hoc ipso consentit, ut fructus percipiat creditor, cui tradit, id est, ut creditor utatur gratuito pignore debitoris, sicut debitor utitur gratuita pecunia creditoris: Sed in hypothecario, hoc est, eo creditore, qui possessionem rei obligatæ non habet, longè aliud obtinet: Nam sicut debitor ei rem obligatam non tradit, ita nihil est, ex quo colligi possit, tacitam debitoris voluntatem illam esse, ut percipiendorum ex hypotheca fructuum jus ullum creditor habeat. Vnde licet creditor hypothecarius, si ad diem pecunia soluta non fuerit, jus habeat vindicandi fundi per Actionem hypothecariam, & postquam vindicaverit retinendi, ac consequenter fructus omnes, qui ex pignore redigi possunt, percipiendi, quia tamen id facit pro suo jure magis, quam ex debitoris, sive expressa, sive tacita voluntate; nullam fructuum partem lucratur, sed omnes quosquos, & quotquot percipit, sibi cogitur imputare in sortem. Hæc ille: Nobis neutra harum opinionum arridet; sed antichresin tam tacitam, quam expressam in hypotheca æquè, atq; in pignore consistere posse planè nobis persuasum est. Videatur l. 1. §. 3. ff. de pignorib.

QUÆSTIO V.

Quænam sit causa efficiens Antichreseos?

Antichresis duplicem habet causam efficientem, sive constituentem, unam remotam, alteram verò proximam. Remota sunt debitor & creditor, quorum ille huic antichresin, ut is percipiendi in vicem usurarũ fructus rei pigneratæ concedit. Proxima est conventio, per quam Antichresis à debitore creditori constituitur, l. 11. § pacto 1. ff. de pign. l. 17. C. de usur. *Cæterum duplex est conventio, Expressa, & Tacita,* l. 2. & seqq. ff. de pact. *An igitur tam hac, quam illa Antichresis constituitur? Equidem Fr. Hotomanus* 1. observ. 4. & in Epit. jur. tit. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. n. 8. l. 1. C. de pignor. act. *negat tacito pacto Antichresin induci, atq; ad eam constituendam semper conventionem expressam desiderari statuit. Verum hunc errorem suprà* in quæst. 1. *refutavimus.*

QUÆSTIO VI.

Quæ sit forma & quis modus Antichreseos?

Non esse certum aliquem modum à Legibus Antichresi præscriptum, nec ullam quantitatem fructibus ex re pignerata percipiendis præfinitam, sed hoc re in infinitum, ut etiam ultra legitimam usurarum quantitatem fructus ex re pignerata, beneficio antichreseos percipere, statuunt Hotom. libr. 1. obs. 9. circa finem. [illegible] d. tract. de usur. c. 6. n. 51. *Rationem & fundamentum hujus opinionis suæ colligunt ex* l. 14. verb. referri quamdiu quasi plus domus redigeret, si locaretur, quam usurarum legitimarum ratio colligit, minimè oportet; & in l. 17. C. de usur. *in verb.* obtentu majoris percepti emolumẽti propter incertum fructuum proventum rescindi placita non possunt. *Rationem etiam hanc adducunt, quod, quo ad propositum, diversissima sit conditio usurarum & antichreseos, quia usuræ semper sunt certa, fructuum vero proventus planè sit incertus,* [illegible]

de

debitor. & facile fieri posse, ut sterilitate incidente, fundus oppigneratus nihil quicquam fructuum proferat, aut ut proferat fructus, sed qui quantitatem usurarum legitimam nequaquam adaquent. Firant.tamen ipse Hotom. in Epitom.jur.tit. de usur.n.36. *hanc sententiam esse... eamdemq. retractat.*

Iacob. Cujacius ad l.17. C. de usur. & lib.8. observ.17. *distinguit inter tacitam & expressam antichresin, sic ut expressa excedere possit modum usurä præfinitum, nec fructus rei pigneratæ quantitatem usurarum excedentes in sortem creditori imputentur vel debitori restituendi veniant, sed cedant lucro creditoris. Tacita vero antichresis modum usurarum legitimum excedere nō valeat. De expressa textus est in* l.17. C. de usur. *de Tacita vero in* l. 8. ff. in quibus caus. *quam non de expressa, sed de tacita intelligendum evincere videtur rubrica, sub qua illa collocatur, quæ habet,* in quibus caus. pign. tacitè contrahitur. *Assimulatur Cujacio Anton. Faber in* Errorib. pragmat. decad. 9. error. 5. *ubi hujus distinctionis hanc adducit rationem, quod creditor, qui ex debitoris voluntate & conventione expressa fructus sibi percepit, jus habeat quæsitum sibi ex proprio contractu, nec aliter contracturus fuerit: Nec ei debeat invidere si pluris sint fructus, quā usuræ legitimæ, quādo etsi minus aut nihil ex fructibus provenisset nihil tamē aliud pro usuris petere creditor posset, qui tamen alioqui gratuitam pecuniam non erat crediturus: At cum nulla expressa conventio præcedit, sic ut non habet debitor, quod conqueratur, creditore ad legitimum usq. modum usurarum fructus pignoris retinēte, quia tacitam suam voluntatem in id accommodasse creditur, cum si alio erat animo protestari debuerit, nolle se ex pignoris sui fructibus quicquam sibi decedere. ita æqui boniq. consulere debeat creditor, si in locum usurarum pecuniæ, quam gratuitam esse volebat, permittatur sibi retinere ex fructibus quantum satis est, ad legitimas usuras complendas, sibi imputare debet, si ampliores fructus consequi volebat, cur non melius sibi prospexerit per Antichresin expressam.*

Verum-

Veruntamen hæc distinctio non potest probari: 1. Nam sicut tacita Antichresis est loco usurarum, & in vicem usurarum percipitur, & ob id non potest modum usurarum excedere, ita quoque expressa antichresis est loco usurarum & vicem illarum subit, l.17. C. de usur. *quam legem ipse quoq; Cujacius de expressa antichresi interpretatur. 2. Præterea sicut Antichresis tacita cederet in fraudem legis, modum usuris præstituentis, si excederet istum usurarum modum; Ita quoq; expressa antichresis excedens usurarum modum legitimum. 3 Deniq; nulla conventio, in fraudem legis facta valet, sed ipso jure nulla est, & pro infecta habetur, perinde ac si expressè contra legem facta esset,* l.30. ff. de legibus. *Conventionem verò istam, qua antichresis ultra modum usurarum expresse constituitur, in fraudem legis cedere atq; pignoris cōtractum usurarium reddere perspicuum esse opinor ex Constitut. Imperii, quæ extat sub tit.* von Wucherlichen Contracten in der Reformation guter Policey zu Augspurg/ *Anno* 1548. auffgerichtet/ Item in der Policey Ordnung zu Franckfurt/ *Anno* 1577. gebessert/ *quicquid tandem contradicat Antonius Faber.*

Carolus Molinæus in d. tractat. de usuris, nu. 259. *& seqq. quem sequitur Andr. Gail.* 2. observ. 3 *distinguit inter antichresin temporariam & perpetuam, ut illa excedere possit legitimum usurarum modum; Hæc verò non item:*

Sed præterquam quod distinctionis hujus nulla adducitur ratio, nec etiam fortassis adduci ulla potest, gravissimè illi refragatur, quod quæ ratio impedit, quo minus perpetua excedere valeat legitimam usurarum quātitatem, eadem quoq; locum in temporaria antichresi habeat. Ideo quippe dictum est, antichresin non posse excedere modum usuris præfinitum, quia aliàs fraus aperta fieret legi usurariæ ac contractus antichristicus efficeretur usurarius, quod enim usurarum prætextu extorquere ab indigenti debitore non liceret, obstante legis prohibitione, id occasione antichriseos temporariæ extorquere liceret, atque ita, quod una via prohibetur, alia committeretur.

2. Dein-

[illegible] Evendi, esse potest, curasset hac [illegible] distinctio, non tamen [illegible] in speciem discordantes conciliandos quicquam prodesset: [illegible] l. 8. ff. in quib. caus. pign. tacit. contrahit. & l.17. C de usur. quæ huic controversiæ omnem occasionem præbuerunt, de perpetua loquuntur antichresi, non verò de temporaria: Hæc proinde distinctio non modo confusa est, sed etiam ad textus invicem discordantes conciliandos planè inutilis.

Andreas Rauchbarus part.1. quæst. juris Civil. & Saxon. q. 20. hoc modo circa propositam quæstionem distinguit; ut si fructuum perceptorum emolumentum nimium excedat usurarium modum, tunc antichresis, quoad magnum hunc excessum, illegitima sit & tanquam usuraria habeatur pro illicita. Sin verò excessus non sit nimius, sed modicus, tunc antichresis non habeatur pro illegitima & illicita ratione istius excessus, quia modicum non soleat attendi, vel curari, l.4. ff de integr. restitut. l.9. ff. de dolo malo. Et immensus sive immodicus excessus cedat demum in fraudem legum, quæ certum modum imponunt usuris. Hujus distinctionis fundamentum hoc producit, quod minimus & modicus excessus non curetur, sicut nec prætor rem minimam curare solet, l. 4. ff. de integr. restit. Cæterùm hæc quoq; distinctio nobis placere nō potest. 1. Quia nullibi in legibus nostris hoc modo distinguitur. 2. Quia ratio & fundamentum, quod nempe minima non curentur falsissimum est, pr. Inst. de vi bon. rapt. §. gallinar. Instit. de Rer. divis. & latius hoc demonstravi in Resolut. Treutl. volum. 1. disp. 11. th. 2. q. 10. 3. Quia in l.1. §. pact.3 ff. de pign. & d. l. 8. ff. in quib. caus. pign. tac. contrahit. antichrisis ad finem & modum usuræ præscriptum præcisè & expressè restringitur. Proinde contra legum præscriptum non potest, nec quidem excedere modum istum. 4. Quia quodcunque vel minimum lædit & violat leges, pro nullo reputatur, l. 5. C. de Legib. 5. Quia sicut excessus usurarum etiam modicus & minimus constitutionibus imperii repugnat, ac pro illicito & illegitimo habetur, tit. von wucherlichen Contracten

in

in der Policey Ordnung zu Augspurg auffgericht/ Anno 1548. l. eos. C. de usur. *ita quoq; excessus antichreseos, ut quarum usurarum sit*, l. 17. C. de usur. *& in usuras percipiatur*, l. 11. § 1. ff. de pignoribus.

Donell. ad L. 17. C. de usur. *cujus sententia veritati per omnia consona esse videtur, ita distinguit; ut ea sit fundi oppignorati conditio, ut communiter certum sit, ac certò constet, ex eo quotannis, magna etiam incidente sterilitate, plures fructus colligi ac percipi posse, quam efficit usura legitima, conventio non sit servanda in eo, quod modum legitimum excedit: ut si verbi gratia, usura creditæ pecuniæ sit decem florenorum, ex fundo autem pignori dato ad minimum colligantur fructus viginti florenorum, hic quicquid fructuũ præter decem percipitur à creditore, id in sortem imputatur, aut debitori restituitur, quia tunc fructuum perceptio est in fraudem usurarum legitimarum, nec ulla incertitudo est, quæ eam conventionem tueri valeat. Sin verò proventus fundi minus incertus est, ita ut facile fieri possit, ut tantum fructuum non proferat, quod usuras legitimas excedat, eo casu æquissimum est, fructus, etsi hoc anno plures provenerint, quam efficit summa usurarum, in sortem non imputari, sed lucro & emolumento creditoris cedere, quoniam unius anni ubertas compensari debet, cum alterius anni sterilitate*, l. ex conducto, 15. § 2. & 3. ff. Locat. *Hæcq; compensatio facit, ut fructus non possint dici excessisse usuras, dum illi cum proventu minore aliorum annorum aut certè cum periculo proventus minoris aliorum annorum conferuntur. Accedit quod secundum naturam est commoda cujusq; rei eum sequi, quem incommoda sequuntur*, l. secundum, ff. de Reg. Jur. *At qui in proposito, si pauciores fructus percipiantur, creditoris incommodum est, non enim debitor supplere debet, quod deest amplius proinde si plures aliquando perceperint, commodum creditoris esse oportet. Quin etsi uno duntaxat anno finitur locatio, tamen propter incertam spem proventus æqualis æqua & justa conventio est, quia tam possunt pauci fructus percipi pro debi-*

tore

tere quam plures pro creditore. Hac spes mutua incerta æqualitatem inducit propter quam conventio servatur. Atque hac distinctione bene ac commodissime in concordiam rediguntur, l. 17. C. de usur. & l. 8. ff. in quib. caus. pign. tac. illa enim de casu priori, hæc vero de posteriori intelligi debet.

QUÆSTIO VII.

An creditor cui antichresis constituta est, cogatur rationem debitori reddere de fructibus perceptis, finita antichresi?

Hæc quæstio eiusdemque decisio ex proxima quæstione dependet proinde hic decidenda ac ventilanda videtur. Et quidem Andreas Rauchbarus part. 1. quæst. juris civil. & Saxonic. q. 20 *absolute & distincte statuit, creditorem non teneri de fructibus ex re pignorata perceptis rationem debitori fundiq. domino reddere. Vt autem ita statuat movetur hac ratione, quod administratores duntaxat rei alienæ ad rationum redditionem teneantur,* l. 2. § quod de frumentaria. Versic. ratio tamen de administr. rer. ad civit. pertinent, l. 1. § offic. tut. & ration. distr. l. 2. l. 14. C. de administ. tut. *Domini autem non sint obstricti rationem reddendam de fructibus perceptis*, l. penult. ad exhibend. leg. 10. §. adeo autem, ff. de edend. l. ult. Cod. de alim. pupil. præstan. l. 2. C. quand. & quib. quart. pars. *Iam vero creditor qui antichresin habet in re pignorata, quod fructuum perceptionem, æquiparatur domino, proinde non tenebitur ullam super fructibus ex re pignorata perceptis debitori rationem reddere.*

Nobis iuxta prædicta & in resolutione præcedentis Quæstionis enodata sic distinguendum videtur: Vt si quidem fundi oppignorati proventus annuus sit certus, tunc creditor jure teneatur reddere domino rationem de fructibus perceptis, quia hoc casu non omnes lucratur fructus, non certe eos, qui legitimam quantitatem usurarum excedunt, sed eos, qui quantitatem istam exsuperant, domino restituere aut in sortem imputare debent, l. 8. ff. in quib. caus. pign. tac. l. 11. § 1. ff. de pignorib. *ac proinde ut ea iustare possit*

quantum percepit fructuum, & etiam quid de fructibus [illegible] debi-tori restituere, vel in sortem imputare debeat, necessario [illegible] de perceptis fructibus reddenda erit. Sin vero [illegible] fructuum omnis incertum est, quia hoc casu omnes lucratur fructus, etiam [illegible] mensi fuerint multisq; modis usurarum modum excedunt, [illegible] netur ulli de iis rationem exhibere.

Huic distinctioni verissimae nihil quicquam repugnat ratio [illegible] primo n. negamus creditorem, qui antichresin habet esse dominum rei oppignoratae aut domino aequiparare, quoad fructuum perceptionem: [illegible] siquidem nullibi hoc traditum in iure videmus, quin potius in l. 35. § 1. ff. de pign. act. absolute negat Florent. proprietatem [illegible] pignoris [illegible] ad creditorem. Deinde posito, quod creditor domino ra-tione fructuum comparetur, non tamen immunis foret a [illegible] rum, quia & tutores sunt loco dominorum, quoad [illegible] nem rerum pupillarum. l. 56. ff. de furt. Et tamen [illegible] tenentur administrationis suae, [illegible] ff. de admin. tut. Et [illegible] bonae fidei possessores dominis comparantur quoad perceptionem fructu-um. l. 48. ff. de acq. dom. & tamen rationem reddere [illegible] do-mino fundi de fructibus naturalib. perceptis. l. [illegible] ff. de usur. & fru-ctibus. Denique licet creditor, qui antichresin habet, dominum [illegible] quoad fructuum perceptionem, hoc tamen [illegible] dumtaxat pro-cederet, quatenus habet antichresin, & quatenus universus [illegible] pignerati fructus pertineret. Nam si ad ipsum non omnes pertineant fructus, sed quosdam restituere cogitur vel in sortem imputare, [illegible] aequius est, quam creditorem [illegible] perceptorum rationem red-dere, ne occasio ei praebeatur consumendi & intervertendi [illegible] ad debitorem spectantes.

QUAESTIO VIII.

Quidnam [illegible]

[illegible]

[illegible] l. 17. cod. de usur. [illegible]

[illegible]

mat textus in l. 1. § 3 ff. de pign. *ubi fructus Hypothecarum usuris compensari sint legitima usura.* *Et in* l. 8. ff. in quibus caus. pign. vel hypothec. *dicitur creditorem, cui antichresis constituta est, de fructibus rei sibi pignerata ad modum legitimum usuras retinere. Caterùm quum rursus antichresis ab usura plurimū differat; dubitandum non est, quo ad differentias tamen usura; & Antichresis variant Interpp. Etenim post Iacobum Cujacium, Iohannes Borcholdt* in tract. de usur. c. 6 n. 4. & seqq: *hasce frequentes tradit differentias, primò, inquit, differunt eo, quod usura non est pignus, Antichresis pignus est*, l. 33 ff. de pignorat. act. 2. *usura pacto promissa per retentionem rei pignorata servatur*, l. 3. C. de usur. *Antichresi per pactionem tacitam constituta, usura servantur per retentionem fructuum rei pignorata.* 3 *usura fœnebris pecuniæ sola stipulatione constituitur*, d. l. 3. C. de usur. *Antichresis pacto nudo*, l. 1. § pacto. 3. ff. de pignorib. *& quidem pacto tam tacito, quam expresso.* l. 8. ff. in quib. caus. 4. *usuris certus modus à Legibus & Imperatorum constitutionibus præfinitus atq; præscriptus est, quem excedere non possunt*, Leo s. C. de usur. *Antichresis verò certum sibi modum præscriptum non habet*, l. 17. C. de usur. 5. *usura non finitur sola sortis oblatione, sed præter oblationem desideratur etiā obsignatio pecuniæ debitæ eiusdemq; depositio*, l. acceptam C. de usur. *Antichresis autem sola sortis oblatione perimitur atq; extinguitur*, l. 11. C. de usur. *Caterùm hæ differentiæ omnes falsæ sunt & ab Interpp. conficta. Quod enim primò dicitur antichresin esse pignus falsissimum est & supra à nobis prolixè refutatum. Secundo æquè falsum est, quod antichresi tacitè cōstituta, usuræ serventur per retentionem fructuum, cum fructus ipsi sint loco usurarum & in compensationem usurarum cedant*, d. l. 1. § 3. ff. de pign. l. 8. ff. in quib. caus. pign. l. 17. C. de usur. *Tertiò falsum est, quod usuræ fœnebris pecuniæ non constituantur per stipulationem, sed duntaxat, per nudam pactionem. Contrarium quippe perspicuè relucet ex* l. 3 C. de usur. *ubi non solum dicitur usuras fœ-*

nebris pecuniæ pacto nudo promitti possit, sed addicimus etiam promissionem istam hunc effectum habere, ut usuræ promissæ retineri possint. Quartò & illud falsum esse supra ostendimus, quod antichresi si certus modus à legibus non sit præscriptus, sed supra quantitatem usurarum liceat fructus ex re oppignorata, beneficio antichreseos percipere: contrarium siquidem probant, l. 1. § 3. ff. de pign. & l. 8. ff. in quib. caus. pig. tac. contrahitur. Quinta ac postrema differentiæ falsitas patebit infra luculentius cum demonstrabitur antichresin sola oblatione non finiri sed ad tollendam & extinguendam eam insuper & consignatio & depositionem desiderari. Quænam igitur, inquis, differentia erit usuræ & antichresis? Respondeo differunt ab invicem eo, quod antichresis constituatur etiam cum gratuita pecunia est credita: usura verò non constituitur, ut credita pecunia sit gratuita. 2. usuræ fœnebris pecuniæ nō debentur nisi stipulatione aut pacto promissæ sint, l. 3. C. de usur. Antichresis verò constituitur, etsi pacto promissa non fuerit, l. 8. ff. in quib. caus. 3. Antichresis semper præsupponit pignus, nec de alia re constituitur quàm de re oppignorata, d. l. 1. l. 11. ff. de pign. l. 8. d. in quib. caus. pign. tac. l. 17. C. de usur. Usuræ autem deberi possunt etiam nullo penitus pignore dato. 4. Antichresis non est usurarum species, sed in locum, in vicem & in compensationem usurarum debetur ac percipitur, d. l. 1. § 3. d. l. 8. & d. l. 17. 5. Antichresin ab agricola stipulari non licet, Novell. 32. & 33. Usuras verò ab agricola non minus, atque ab alio, quovis stipulari permissum est.

QUÆSTIO IX.

Quidnam differat Antichresis à pacto de retrovendendo?

Pactū retrovenditionis, quo res aliqua ita venditur, ut venditori servetur facultas rem venditam recuperandi refuso pretio, l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. *magnam habet cum pacto antichreseos convenientiam ac cognationem. Sicut enim illic emptor lucratur fructus donec refusio pretii fiat, & vēditor pecunia pretii nomine soluta utitur, sic quoque creditor, cui antichresis constituta est*

fru-

fructus rei oppignoratæ lucratur usq; dum pecunia sibi reddita fuerit & debitor interim utitur pecunia credita. Veruntamen magna rursus inter utrumq; pactum, antichreseos, inquam, & revenditionis differentia: Nam 1. *emptione sub pacto revenditionis facta dominium in emptorem transfertur, nec ei translationi impedimento est pactum revenditionis,* d. l. 2. *At pignore sub pacto Antichreseos dato dominium non transfertur.* l. 35. ff. de pign. act. *Quin nec transfertur possessio,* l. sciendum. ff. quis satisd. cogunt. 2. *Pactum revenditionis pertinet ad emptionem venditionem resolvendam: At pactum Antichreseos magis spectat ad pignoris contractum stabiliendum ac confirmandum.* 3. *emptor sub pacto revenditionis utitur fruitur re empta jure dominii, quia in ipsum dominium revera est translatum: At creditor utitur re pignerata in antichresin concessa non jure dominii, sed ex liberali domini cõcessione.* 4. *Hinc etiam emtor omnes omninò fructus, quicunq; & quotcunq; tandem fuerint, lucratur, nec ullus ipsi præscriptus est modus, ultra quem fructus retinere, suosq; facere non possit: At creditori jure antichresis utenti re pignerata certa est præfinitaq; quantitas, ultra quã fructus perceptos non retineat sed aut in sortem imputet, aut debitori restituat.* 5 *Deniq; cum emptor omnes fructus jure dominii percipiat, quamdiu pretiũ non est refusum. Igitur de fructib. ante revenditionem refusionemq; pretii perceptis rationem nulli reddere tenetur: At creditor de fructibus, durante etiam pignoris jure, perceptis reddere tenetur rationem, ut supra sub quæst. 7. ostensum fuit.*

QUÆSTIO X.

An Antichresis finiatur & extinguatur sola pecuniæ oblatione à debitore creditori facta?

Antichresin finiri debiti solutione dubitandum non est: Cum enim pignus liberetur debito principali soluto, consequens est antichresin, utpote pignoris adjunctum, extingui. Atq; hoc de solutione vera dubium penitus nullũ recipit: sed an ne sola oblatione debiti antichresis finiatur, an vero præter oblationem pecuniæ necessaria quoq; sit ob-

signatio & depositio, controvertitur? Nam post Cujacium Iohannes Borcholdus in d. tr. de usur. c. 6. n. 4 *antichresin sola oblatione debiti finiri statuit; duplex autem fundamentum hac sententia habet,* 1. *Quod oblatio sola sit solutio ac principalem obligationem tollat,* l. 9. C. de solut. *ea autem sublata, pignus quoq; liberetur,* l. in omnibus. 43 ff. de solut. *&, quod huic consequens est, finitur antichresis,* l. 33. ff. de pign. act. 2. *Deinde antichresis usurarum vicem subire,* l. 17. C. de usur. *& in compensationem usurarũ percipi dicitur,* l. 1. § 3. ff. de pignorib. *Iam verò sola debiti oblatione usura sistuntur debitorq; ab earum præstatione liberatur,* l. 6. l. si per te. 9. l. ex prædiis, 11. C. de usur. *Proinde etiam antichresis sola oblatione debiti finitur & deberi desinit.*

Caterùm huic sententia contradicit Donellus ad d. l. 17. C. de usur. *solamq; oblationem ad perimendam antichresin non sufficere, sed praterea etiam obsignationem & depositionem desiderari, si oblatam pecuniam creditor acceptare recuset, asserens: Qua opinio etiam nobis haut displicet; & hisce fundamentis nititur.* 1. *Antichresis semel constituta durat donec pignus fuerit sublatum,* l. 11. § 1. ff. de pignorib. *At pignus non solvitur sola oblatione sortis, sed insuper obsignationem & depositionem desiderat,* l. creditor. C. de usur. l. si prius, de distract. pignor. l. 2. C. deb. vendit. pign. imp. non poss. l. ult. C. de luit. pign. l. si rem. § ult. de pign. act. 2. *Pignus, & consequenter antichresis, non tollitur, nisi principali obligatione extincta. Atqui sola debiti oblatione non dissolvitur obligatio principalis, creditore pecuniam oblatam acceptare recusante,* l. 6. C. de usur. 3. *Antichresis loco usurarum est & usurarum vicem sustinet,* l. 17. C. de usur. *Atqui obligatio usurarum non dissolvitur sola oblatione sortis,* l. 6. l. 9. l. 19. C. de usur. *Quocirca nec antichresis finietur nuda oblatione debiti.*

QUÆSTIO XI.

An longissimi temporis spacio 30. vel 40. annorum præscribatur antichresis?

Si creditor per triginta, vel 40. annos pignus & antichresin habue-

[illegible], nec tamen a debitor obsoluerit debitū pignusq; luere & antichresin tollere conatus fuerit, quæstio est, anni jure luendi pignus & antichresin tollendi jam præscriptum sit, ut amplius offerre eaq; [illegible] pignus [illegible] luere & antichresin [illegible] nequeant? Pro negativa [illegible] videntur argumenta. 1. Quod jus offerendi & luendi pignus sit meræ facultatis, quæ autem talis sunt nullo tempore præscribi nec præscriptione auferri queant, Covarr. ad c. possessor, de R. Jur. in 6. 2. Quod creditor non suo sed sui debitoris nomine possideat, § 5. I. de interd. igitur non possit præscribere, l. 13. ff. qui satisd. cog. 3. Quod creditor pignus possideat tanquam malæ fidei, in quarum [illegible] habeat. Malæ autem fidei possessor nullo tempore præscribat, c. final. de præscript. 4. Quia enim pignus plerumq; plus est, quam debitum principale, ideò præscriptione pignoris creditor plus consequeretur, quàm ipsi debetur, quod absurdum est, l. 17. pr. ff. de pact. 5. Quia jus Canonicum, servandum est in materia præscriptionis, ut in qua de peccato agitur, improbet omnimo præscriptionem malæ fidei possidentis, d. cap. fin. de præscr. 6. Quia actioni nondum natæ non potest præscribi: actio autem pigneraticia, qua ad repetendum pignus, ut & antichresin con petit, l. 33. ff. de pignor. act. non est nata, antequam [illegible] fuerit debitum. 7. Quia hæc sententia in Camera Imperiali recepta est, teste Andrea Gailio diligentissimo ejusdem Cameræ Imperialis observatore, lib. 2. observat. practic. 18. nu. 4. 8. Quia eadem opinio constitutione Elector. Saxon. quæ extat part. 1. con. [illegible] comprobata est. 9. Et quia denique sententia propè [illegible] hæc opinio est recepta præstantissimorum etiam JCtorum calculis confirmata, è quibus videri possunt per Rogerium JCtum & juris interpretem antiquissimum. Iacob. Cujacius in l. pignor. ff. de usurpat. & usucap. & in paratit. C. de præsc. 30. vel 40. ann. Iohan. Borcholt. in tract. de usur. c. 6. nu. 11. & seqq. Andr. Gail. 2. observat. 18. Hippolitus de Marsil. sing. de fideiuss. nu. 101. [illegible] tractat. de retract. convent. [illegible] Gloss. in [illegible] [illegible]

Myn-

Mynsing.cent.1.observ.16. *Franc. isc. Bal.* de præscript.tract. 3.& 4.part.5.

Sed tamen his fundamentis non attentis, contrariam opinionem veriorem & meliorem esse judicamus. 1. Omne jus sive privatum, sive publicum in quacunq; causa vel persona quadraginta annorum silentio extingui, cautum est in l 4.C.de præscript.30. vel 40.annor. *nec ullibi jus luendi pignus exceptum reperitur. 2. Omnis actio sive in rem sit sive in personam, triginta annorum spacio extingui dicitur,* in l.3.C.d.tit. *Actio igitur pigneratitia quæ nusquam reperitur à superiore regula excepta, consimiliter 30. annorum spatio præscrib. censetur, & consequenter post lapsum longissimi temporis creditor pignus redimere & actione pigneratitia agere frustra annitetur. 3. Adde quod ratio præscriptionis, ob quam actiones & jura longissimo tempore præscribuntur & extinguuntur, etiam in jure luendi pignus & in obligatione pignoris, actioneq; pigneratitia æquè obtinent, atq; in aliis juribus obligationibus & actionibus, quod nempe Reipubl. intersit lites non esse immortales, nec actiones in infinitum vivere, sed tandem aliquando extingui; jus proinde istud luendi, obligatio pignoris & pignoratitia actio longissimo tempore præscribetur & extinguetur. 4. Postremò huic sententiæ subscribunt non minus nobiles ac celebres ICti, atq; ex illis inprimis post Bulgarum Accursius Glossator in* l. pignor. verb. alieno,ff.de usur. *Angel. ad* § omnium,n.54. Inst. de act. *Iason in* L.si Mater,nu.5.C.de instit.& substit. *Henning. Göden* Consil.109.n.212.cum seq. *Schurff.* Consil.47.n.5. Consil.90.n.1. *Wesenbec.* in paratit.de rescind.vendit.nu.ult. *Köppen* decis.1.n.38.& seqq.& infiniti alii.

QUÆSTIO XII.

Vtrum antichreseos contractus sit licitus, an verò usurarius sit & illicitus?

Cum ex hactenus dictis satis constet quidnam sit Antichresis, restat, ut inquiramus anne etiam jure licita sit, an verò illicita. Non

enim

enim desunt, qui contractum antichreseos illicitum & usurarium esse judicent, idq; ex hisce fundamentis. 1. *Quod novissimis Imperii Constitutionibus, quæ extant in* der Reformation guter Policey zu Augspurg / *anno* 1548. auffgerichtet/ *tit.* von wucherlichen Contracten. *Item* in der Policey ordnung zu Franckfurt/ *anno* 1577. gebessert/ tit. 17. *omnes contractus usurarii, ut illiciti ac Reipubl. summoperè perniciosi prohibentur & illiciti esse jubentur.* 2. *quod jure Canonico contractus usurarii omnes damnentur,* cap. 1. cap. consuluit, extr. de usur. *usurarius verò contractus non solùm, tunc initus censeatur, quando expressim annuatim usurarum nomine aliquid datur, sed etiam si ex pacto creditor lucratur fructus loco & in vicem usurarũ, ut in antichresi fieri evincunt,* l. 1. § 3. l. 11. § 1. ff. de usur. l. 17. C. eod. tit. *porrò in materia usurarum, utpote conscientiam inprimis concernente, jus pontificium cæteris juribus authoritate præponderat.* 3. *Quia etiam novissimo jure civili cum agricolis antichresin contrahere disertè prohibetur,* Novell. 32. & 33.

Sed quod antichresis non sit illicita nec legibus prohibita aut improbata, testantur Imperat. constitutiones hac de re in jure extantes & præsertim l. 14. & l. 17. C. de usur. l. 1. § 3. l. 11. § 1. ff. de pign. l. 8. ff. in quib. caus. pign. tac. *Quas leges nulla recentiori Imperii constitutione sublatas vel emendatas esse probatu haut erit difficile.* 2. *Quia etiam summa defendit æquitas antichresin: Quid enim æquius est. quam cum debitor pecunia credita utatur, creditor vicissim in compensationem justi interesse fructus rei oppigneratæ percipiat, ne officium suum ipsi damnosum existat?* 3. *Quia in novissimis Imperii constitutionibus paulò supra allegatis, quincunces usuræ loco interesse permissæ sunt, vide Andr. Geil,* 2. observ. 5. n. 14. & seqq.

Carolus Molinæus in tractat. de usur. quæst. 35. nu. 259. & seq. *distinguit inter antichresin perpetuam & temporariam, ut illa sit illicita & usuraria: Hæc verò non item: probare hanc di-*

D stinctio-

stinctionem videtur Andr. Gailius 2. observat. 5. Verum ratione omninò caret.

Ego sic distinguendum censeo: Si annui proventus & fructus fundi oppignorati sunt incerti, tum non potest antichresis in hoc fundo constituta dici illicita & usuraria, d. l. 17. C. de usur. & supra latius hoc demonstratum fuit. Sin vero certi sint fructus fundi & singulis annis legitimam quantitatem usurarum excedere soleant, tum intra illam quantitatem usurarum antichresis non est usuraria, extra eam verò seu ultra eam usuraria est.

SOLI DEO GLORIA.

A MONSIEUR
HENRY JUSTE PFEIL, MON
tres-cher compatriot & ſingulier amy.

HENRY-JUSTE en diſcuſſion
Mettant mainte poſition,
Faites paroiſtre l'excellence
De voſtre tres-belle ſcience.
Faites preuve de la memoire,
Digne d'amour, digne de gloire,
A tous ceux, qui tres-doctement
Oppoſeront quelque argument.
Dieu tout puiſſant, qui tout ſeconde,
Rende voſtre langue faconde,
Qu' à un chaſcun ſoyez plaiſant,
Tels ſont mes voeux pour le preſent.

Statius Fabricius Mindenſis.

F I N I S.

§(*)§